



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 1. Quænam est materia & forma hujus Sacramenti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

**Q. 1.** *Quænam est materia & forma hujus Sacramenti?*

**Resp. I.** Materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Trident. sess. 14. c. 1. Renovari debet singulis annis, veteri exusto. Quod si periculum sit ne intra annum deficiat, neque possit haberi aliud benedictum, benedicto admisceatur non benedictum in minori quantitate. *Ita Rituale Roman.* Materia verò proxima est Unctio. Hæc ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium, debet fieri in forma Crucis: quod tamen non est essentiale, sicut neque ut fiat immediatè pollice Sacerdotis; nam pestis tempore Unctio fieri potest bacillo.

**Resp. II.** Forma est hæc deprecativa: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus. ex Florent. & Trid. & Rit. Rom. Sunt qui putant hæc sola verba, *per istam Unctionem indulgeat tibi Deus, esse essentialia;* eò quod effectum Sacramenti sufficienter exprimant, quamvis cætera ex præcepto sint addenda.

**Q. 2.** *An essentiales sunt Unctiones quinque sensuum?*

**Resp. I.** Multi cum S. Thoma affirmant, & in Ecclesia Latina servantur: ac proinde in praxi adhiberi debent, quantum fieri potest; præsertim cum constet, eas requiri ex præcepto. Non pauci tamen contendunt ad valorem